



# The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA AYACUQUENSIS\*** IN PERUVIANA REPUBLICA  
NOVA CONDITUR PROVINCIA ECCLESIASTICA, NOMINE «AYACUQUENSIS». Suprema ea usi potestate, quam cum  
Romano pontificatu accepimus, Ecclesiam universam gubernandi, incepta illa inire studemus ad exitumque adducere,  
quae ad aptiorem eiusdem Ecclesiae rectionem animorumque utilitatem conducere videntur. Qua de re, quoniam  
venerabilis Frater Romulus Carboni, Archiepiscopus titulo Sidoniensis et in Peruviana Republica Apostolicus Nuntius, ad  
maiis consequendum fidelium bonum, ab Apostolica Sede petuit ut nova in eiusdem Reipublicae finibus constitueretur  
provincia ecclesiastica, precibus Nos accedendum esse censuimus atque sequentia statuere, sententia scilicet audita  
Ordinariorum locorum, quorum interesseret, atque eorum suppleto consensu qui hoc in negotio ius  
aliquid vel habeant vel se putent habere. Cathedralem sedem Ayacuquensem inter  
metropolitanas Ecclesias referimus, cum debit is iuribus, a iure nempe metropolitanae sedis  
Cuschensis eximentes, eique tamquam suffraganeas dioecesim Huancavellicensem et  
praelaturam Caraveliensem addicimus, quas a provincia ecclesiastica Limana et Arequipensi  
cistrahimus, ita statuentes ut tribus his sedibus nova provincia ecclesiastica formetur,  
*Ayacuquensis* appellanda, factis scilicet iuribus ex iure communi consequentibus. Primum autem  
Archiepiscopum Metropolitam venerabilem Fratrem Otonielem Alcedo eligimus, hactenus  
cathedralis Ecclesiae Ayacuquensis Episcopum. Ceterum, haec quae iussimus venerabilis Frater  
Romulus Carboni exequi curabit vel quem ipse delegaverit. Rebus autem perfectis, documenta  
exarentur ad Sacramque Congregationem Consistoriale sueto more mittantur. Si vero tunc  
temporis aliis eidem Apostolico Nuntio fuerit suffectus, hic mandata Nostra faciat. Hanc vero  
Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam  
decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius  
Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per  
eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel  
scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis  
impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti  
simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae buic  
haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo  
nonagesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri quarto.*

IACOBUS A. Card. COPELLO  
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI  
S. Congr. Consist. Pro-Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regensloannes Calleri, Proton. Apost.*

Sylvius Romani, *Proton.*

---

*Apoost.*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n.16, pp. 1128-1129 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana